

6  
L. D. B. V.  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO IUVENTVTIS PRINCIPE, AC  
DOMINO,  
DN. FRIDERICO AVGVSTO,  
PRINCIPE REGIO, ATQVE ELECT. SAX. HEREDE,  
ETC. ETC. ETC.  
ET  
SVFFRAGANTE  
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE,  
PRIOREM

DE  
SACRIS  
MVLHVSINIS

DISSERTATIONEM  
PRAESES,

M. CHRISTIANVS GVILELMVS  
VOLLANDVS,

ET RESPONDENS,

IOANNES MARTINVS AKIVS,  
MVLHVSINI,

EXQVIRENDAM ET VENTILANDAM PVBLICE  
PROPONENT,

IN AVDITORIO PHILOSOPHORVM,

IPSIS IDIBVS MARTIIS,  
ANNO A. O. R. c1o 1o cclIII.  
HORIS ANTEMERIDIANIS.

---

VITEMBERGAE SAXONVM,  
PRELO MEYERIANO.

RECTOR MAGNIFICENTISSIMO  
DOMINO  
DM. FRIEDRICH ANTONIO

DE  
SACRIS  
MAGISTER

M. CHRISTIANUS GILBERTUS  
VOLLHARDT

TOBIAS HALLERUS

1710





§. I.



Istoriā Patriae continuaturus, quaedam de SACRIS MVLHVSINIS proferre animus est, ita quidem, ut, quae de impio simulacrorum cultu, quem populares mei ultimis retro temporibus amplectebantur, scripta ac consignata legimus; tum et quo tempore, quae occasione ad suscipienda *Christi* sacra Nostrates pariter ac reliqui Turingi traducti fuerint, quam fieri potest, breuissime conscribam: illa uero, quae sub statu *pontificio* contigerunt, quae uero post emendatam a D. Martino Luthe-ro Religionem, instauratamque ueram, et ab *Apostolis* traditam, doctrinam, ad hunc usque diem apud nos euenerunt, pro instituti ratione literis mandare, et iusto omnia ordine enarrare uelim, Deum immortalem toto pectore precatus, ut conanti propitius adsit, et propositum fortunet, quo laborem hunc ad optatum perducere finem exitumque possim.

§. II. Turingi ergo, ut, missis ambagibus, ad rem ueniam, salutaris doctrinae, diuinitus patefactae, cognitione nondum imbuti, uaria simulacra diuino cultu uenerati sunt, ac serius paulo, quam aliae, praefertim

fertim Rheno finitimae, gentes, ad *Christiani* nominis societatem peruenerunt. \* Speciatim Mulhusini cum iis, qui in Turingia septentrionali habitauerunt, *Idolum* quoddam, *Stuffonis* nomine appellatū, magno diuinoque honore prosequuti sunt, cui in uicinia mons olim saccratus fuit, qui *Mons Stuffonis* ab eodem dicebatur. \*\*

\* *In quam sententiam legendus est S. Pfefferkornius, Antistes Tonnanus, uir diligens, atque in hoc studii genere maximo opere uersatus, qui ea de re copiose agit, ac Turingorum, in profundissima paganae superstitionis caligine adhuc degentium, Sacra, cum Diis illorum Deabusque compluribus, erudite recenset, in Hist. Turing. Cap. XII.*

\*\* *Nomen istius Montis Caroli M. temporibus nonnihil immutatum fuit: quippe qui insignem de hostibus suis, Saxonibus infidelibus, reportauerat uictoriam, gratique animi officium eius rei causa in hoc Monte declaraturus, dixerat: Hic nemo, nisi Deus, opem auxiliumque tulit. Quo accidit, ut in illius rei memoriam Mons Stuffonis, der Stuffen-Berg, postea Auxilii nomine, der Gehülffens-Berg, quod etiamnum retinet, insigniretur. Atque hic locus ab Romanis sectatoribus in tanto pretio hodiernum habetur, ut magno numero peregrinationes singulis annis eo suscipiantur, et Eichsfeldenses potissimum Diuo suo Bonifacio, cui sanum in Monte consecratum est, honorem et uenerationem exhibeant, a quo in omnibus fortunae casibus et calamitatibus auxilium defensionemque, singulari quadam animi fiducia, expectant. Etenim mira quaedam opinio homines tenet, uaria ibi et magna quondam miracula fuisse edita, persuasos. Quorsam legere licebit Pfefferkornium, d. l. p. m. 57. Ceterum statua illius Sancti, in fano Montis reposita, Mulhusam deinceps, nescio, qua occasione, deportata, atque in angulo quoddam Templi, cui ab Ecclesiasticis nomen inditum, collocata fu-*



ta fuit. Tempore autem seditionis rufficorum a turbulentis hominibus ex illo rursus ablata, confracta est, atque eversa. Noctu enim illi, nominatim Ioannes Kilius, Volckmarus Mullerus, Eccardus Koehlerus, et Bartholomaeus Goezius, fores Aedis S. effregerunt, et Magistratui, huius rei rationem postulanti, sincero, qui Christianos deceat, ardore ductos, statuam, ab Auxilio dictam, den Gehülffen, cum aliis imaginibus, se destruxisse responderunt. Hoc me docent Chronica nostra MSC. per benigne mecum communicata, quae eam ad rem conferenda sunt, sigillatim ad A. Ch. c I 1o XXIII.

§. III. Quo uero tempore Christianorum sacris initiata fuerit gens nostra, incertum est, ac uix defini-ri potest. Interim, qui initia Christianae Religionis, in Turingia ortae, ad seculum post C. N. quintum, aut sextum referri uolunt, non errare mihi uidentur. Temporibus enim Clodouaei, Francogalliae Regis, qui primus sacro fonte se ablui passus, postea Ludouicus, huius nominis primus, dictus est, pii quidam religiosique homines in Turingiam uenisse, et sacros sermones ad populum in campis, sub arboribus, et apud fontes habuisse, atque in profligando Daemonum cultu elaborasse, perhibentur. \* Quin immo non multo post Hermenfridus, Turingiae Rex, Amalbergam, Theodorico, Ostrogothorum in Italia Regi, sanguine iunctam, \*\* uxorem duxit, quae utique parentibus, rei Christianae non ignaris, nata fuerat, atque educata. Hanc autem, quum ad maritum proficisceretur, Christiani ritus peritos habuisse, extra dubitationem positum, existimo, eademque occasione Turingi aliquam de Deo uero notitiam hau-

rire potuerunt. Accedit, quod ex Epistolis Gregorii, Romani Praefulis, eius nominis secundi, manifeste uideamus, Turingos, qui antea *Christianorum* sacra amplexi fuerant, cognitam approbatamque Religionem rursus deseruisse.\*\*\*

\* *Nomina eorum, qui ante et post Clodouaci, sive Ludouici I. tempora doctrinam salutarem in Turingia propagarunt, leguntur passim, et recensentur a Pfefferkornio l. c. p. 60. seq. ex quo illa repetere placet. Sunt autem huiusmodi: Haislibus, Guthelmus, Mulerus, Guntherus, Heilwäldus, Nathanael, Drubeimius, Vertherus, Ansebrechtus et Hunnefridus. Quos uero sermones habuerint, et quam doctrinam tradiderint, eius ueluti summam, ex antiquo Ecclesiae Doctore, Ruperto, petitam, deprehendas licet apud Cyriacum Spangenbergium, in Praefatione, in Vitam Bonifacii conscripta.*

\*\* *Haec Amalberga, teste Procopio et Iornande, per antiquis scriptoribus, filia fuit sororis Theodorici, causa omnis calamitatis exitiique, quod breui post sequebatur, atque in amissione regni et uitae mariti liberorumque, crudeliter, et contra datam fidem intersecutorum, terminabatur. Ipsa autem superstes mansit, et ad fratrem Theodatum, qui postea regnauit, in Italiam se recepit. Errant, qui Amalbergam ex Theodorico ipso prognatam fuisse, asserunt, ut post Aimoinum et Auentinum Auctor Excerptorum Valesianus, et alii, quorum mentio facta est a D. Caspate Sagittario, in Antiquit. Regni Turing. Lib. II, C. X. §. 3. quem legere iuuabit.*

\*\*\* *Extant Epistolae eius passim, speciatim apud Caesarem Baronium, Tom. VIII. Annal. Ecclesiasticorum. Addatur Petrus Albinus, uir diligens atque eruditus, in Specimine Hist. Turing. ad A. Ch. 1000 XVIII.*

§. III. Ex his igitur constat, iam ante Bonifacium

cium \* *Christiana*e Religionis semina in Turingia sparsa fuisse, quanquam instauratio eius, atque incrementa Bonifacio haud temere ascribantur. Ille enim, accepta docendi potestate, \*\* seculo post C. N. octauo in regionem nostram se intulit, eandemque, in maximis ignorantiae tenebris constitutam, diuinius literis, summa fide ac diligentia, erudire coepit, praesul animi sanctitate praestantissimus, atque hoc studio et opera de salute nostrae gentis optime meritus, eamque ob causam Turingorum, immo et a nonnullis Germanorum, *Apostolus* communiter dictus.

A. 1000  
XXIII.

- \* *Nomen hoc propter res gestas adeptus est, quum antea Vunfridus, seu Vunfridus, etiam Vinfridus, appellaretur, quo deinceps obliterato, prius illud seruatum est, nec hodie ignotum. Quorsum legendus est Albinus, l. c. ad A. Ch. 1000 XXIII. Cui iungendum puto Nic. Serarium, patrem Ignatianum, Rerum Mogunt. Lib. III. p. m. 467.*
- \*\* *Quae potestas data ei est atque concessa a Gregorio II. Romano Pontifice, qui illum A. 1000 XVIII. Romae creauerat, ac solemniter inaugurauerat Episcopum, referente Lamberto, Asehnaburgensi Presbytero, in Hist. Germ. p. 152. Edit. Pistorianae, ad h. A. quem ueracem et rerum Teutoniarum peritum scriptorem uocat Illustris C. S. SCHVRFLEISCHIVS, Doctor et Praeceptor meus per omne uitae spatium pro eo, ac par est, uenerandus, in Dissert. de Marchia Misnensi, Marianus autem Scotus, Monachus Fuldensis, tradit annum sequentem, ibid. in Chron. ad A. 1000 XVIII. p. 433.*
- \*\*\* *Bonifacium tanto encomio indignum iudicat Pfefferkornius, utpote qui Romani Antistitis Dominatum Ecclesiasticum in Turingiam introducere ac stabilire uoluerit, et seruus mancipiumque sedis Romanae fuerit. Cuius rationes uideri possunt loco citato, p. 61. seqq. Sedeniuero*  
etfi

est existimationi huius uiri atque eruditionis laudi nihil detractum uelim, necesse tamen habeo fateri, ea ipsa, quae hac de re protulit, lubrico admodum mihi fundamento, quum multo certiora mihi documenta suppeterent, quae contrarium probant, meamque sententiam mirifice iuuant pariter ac firmant. Conferatur omnino D. G. C. EILMARVS, uir humanitatis atque antiquitatis multo peritissimus, et praesertim in historia patria maximopere uersatus, quem honoris causa nomino, propterea, quod plurima propensissimae in me uoluntatis dedit documenta, ut grati animi officium, data occasione, publice exhibendum, minimeque praetermittendum duxerim. Hoc enim ille argumentum summam et erudite persequutus est, in Specimine Hist. Turing. §. IIII, ubi luculenta, et quae fallere non possunt, huius rei testimonia suppeditauit. Inprimis autem conferendus est Otblonus in Vita Bonifacii, et ad eundem Serarius, l. c.

§. V. Posthaec, summam rerum in Occidente adepti Carolo M. melior *Christianae* Religionis facies in his uicinisque regionibus exiit, et patria plenioribus diuinae lucis radiis collustrata fuit. Quum enim uarias in Saxones expeditiones suscepisset Carolus, eosque multis praeliis prostrauisset, Vitekindus tandem, acerrimus fortissimusque hostis, Regi, aequas pacis condiciones offerenti, se permittit, quem postea, ut sacro fonte ablui se pateretur, persuasit. Cuius exemplum Saxones Turingique complures sequuti, et maximo illo, quod non temere in Duce suo collocauerant, praefidio nudati, nihil amplius aduersus Francos moliri audebant. Hac itaque ratione detestando Daemonum cultui finis impositus est, atque in omnibus fere locis *Christianorum* Sacra introducta, fana ac delubra

A. 15 cc  
XXCV.

bra, *Idolorum* plena, cum lucis deleta et euerſa, ſacraeque Aedes, in quibus preces ad Deum fundendae eſſent, exaedicatae iuxta atque conſecratae.

§. VI. Quo factum eſt, ut in *tractu* etiam noſtro liberior exercendis ſacris locus daretur: quippe qui ſinibus Francorum propius adiacebat, et, quoniam ſeculo poſt C. N. ſexto in eorum, regnante Ludouico I. uenerat poteſtatem, multi in eo *Chriſtiani* iam tum debebant. Quapropter, abrogato nunc prorſus cultu impio, incolae, ac ſpecialim *Mulbuſini*, Romanis ritibus addiſti, Sanctum illum, ab *adiuando* dictum, qui in uicino loco fanum ſacratum habebat, et cuius in §. II. mentionem inieci, magna animi ueneratione coluerunt, eundemque, pro captu et conditione illorum temporum, ac conſuetudine, etiamnum ritu *pontificio* recepta atque uſurpata, *Patronum* ſibi et defenſorem elegerunt perinde ac conſtituerunt.

§. VII. Atenim uero, quod dolendum maximopere eſt, puriorem illam ac ſanctiorem, quam diuinioreſ literae et ſcripta *Apoſtolorum* continent, doctrinam Religionemque, initio quidem ipsis patefactam et expoſitam, tamen conſtanter non ſeruarunt, propterea, quod eius iacturam rurfus haud multo poſt fecerunt. Variis enim modis a priſtina *Eccleſiae* ſimplicitate reſeſſum eſt, quum Romanorum Praeſulum poteſtas iam tum inſigniter aucta atque amplificata, et conſequentibus etiam temporibus, ſumptis indies maioribus incrementis, ad ſaſtigiũ quodammodo perueniret, et in Germania poſſimum, quae prae ceteris, ſi Hiſpaniam excipias, regionibus, prompta ipsis ad obſequendum fuit, firmiora *Dominatus Eccleſiaſtici* fundamenta iacerentur, paulatimque ſtabilirentur.

§. VIII. Sub horum igitur regimine *Mulbuſini* etiam per multa ſecula uixerunt, et in maxima *Verbi* diuini ignoratione uerſati fuerunt. Quo ſeruitutis iugo tantisper premebantur,

B

tur,

tur, dum praepotens Numen *D. Lutherum*, incomparabilem Vindicem, excitaret, ut ueterem illam, et in monumentis, afflatu Dei perscriptis, comprehensam, denuo doceret Religionem, atque in lucem proferret, de quo inferius erit agendi locus.

§. VIII. Veruntamen, ut recto ordine progrediar, et, quae hoc de argumento obseruatu digna occurrunt, quaeue Sacrorum in nostrate Vrbe ante et post instauratae Religionis tempora forma fuit faciesque, exponam, officii ratio a me postulare uidetur. Id quod ea me breuitate facturum recipio, quae instituto meo conuenit, neque necessaria, et ad praesentem rem pertinentia, omittit.

§. X. Operae itaque pretium erit, ut a *sacris Aedibus* ordiar, earumque succinctam instirnam commemoratorium. Illarum uero VIII. in Vrbe ipsa numerantur, iam olim exstructae, et pleraeque etiamnum superstites, ac diuino cultui dicatae. Omnium fere structura perelegans est, atque egregium Ciuitati conciliat splendorem, singulisque nomina a sanctis quibusdam uiris et feminis, quos magno honore *Mulbusini*, quum sacra Romana adhuc in usu essent, afficiebant, data fuerunt, quae etiam hodie retinentur. Quae ordine nunc recensebo, et quae de iisdem afferri poterunt, breuiter strictimque commonebo.

§. XI. Principem ergo in Vrbe locum obtinent *Templa*, *Marianum* et *Blasianum*, in quibus ab hora V. matutina usque ad VI. et a VII. usque ad X. ab hora uero XII. usque ad II. pomeridianam sacra peraguntur. Prius uero illud Urbis primum est, ceterisque in Vrbe, immo uniuersa *Turingia*, pulcritudine et structurae elegantia praestat, insigniter quippe ac perartificiose exaedificatum, tribusque turribus, quarum media, cupro tecta, altitudine nulli ista in regione cedit, praeditum, atque exornatum. Nomen accepit a *B. Maria Virgine*, Seruatoris nostri genitrice, cui a primordiis consecratum

cratum fuit. *Blasianum* a *D. Blaso* appellationem habet, duabus turribus conspicuum, fatisque amplum est, neque inellegantem exstructum, etiam si magnitudine, et operis praefantia ab illo longe superetur. Instituta posthac Sacrorum emendatione, iuxta hoc templum Antifisti Urbis domicilium est attributum. Vtriusque uero templi cura ad *Equites Ordinis Teutonici* olim spectabat, quippe quibus ius erat constituendi in utroque sacerdotes, et partes sacras iis demandandi.\*

\* *Equites hi iuxta utrumque templum splendida ac per ampla possederunt domicilia, et in Vrbe ueteri praecipuus ex illis sedem habuit, ubi etiam Sacellum quoddam, S. Annae consecratum, conspicitur, in quo sacris administrandis Equites operam dederunt. Quod etiamnum superest, et anniuersario ordinis Ecclesiastici et Ministerii conuentu ac Synodo est nobilitatum. Ceterum in utriusque templi aris superest S. Maria, a Trinitate coronata, qua instar symboli utuntur Equites, unde etiam Mariani appellantur. Immo in sacrario Aedis Marianae multorum Sanctorum Sanctarumque, ut uocantur, reliquiae, ut Theodosii, Ceciliae, Barbarae, Brigittae, etc. in cruce quadam crystallina etiamnum reperiuntur.*

§. XII. Proxime ab illis collocandum est templum,\* fodalitatis *Franciscanorum*, seu *Nudipedum*, domicilio coniunctum, atque in media Vrbe situm, in quo conciones sacrae et puerorum puellarumque examina *catechetica* per hebdomadas, opportunitatis loci causa, singulis diebus habentur. Superiori illo, quod maiori ex parte Urbem absumpsit, incendio propemodum deflagrauit, et nuper instaurari coeptum est, simulque, mutata pristina appellandi ratione, a *Cruce cognomen* tulit.

\* *Est in hoc templo sepulcrum celebris illius in coetu Romano Sancti, Hermanni, qui Mulhufinus dicebatur, et quem magna ueneratione illi prosequuntur. Immo aliquot abhinc annis monachi quidam in nostratam Urbem uenerunt, accuratamque et singularem de tumulo eius notitiam ab ordinis sacri uiris petierunt.*

§. XIII. Hoc uero excipiunt Aedes *DD. Iacobo* et *Kilian-*

no sacrae, in quibus sacra diebus solis, tempore duntaxat aestiuo, ab hora II. usque ad III. post meridiem administrantur. Postremo denique commemoranda sunt Temp<sup>a</sup> *Mariae Magdalенаe*, \* *Praedicatorum s. Dominicanorum*, \*\* et *Omnium Sanctorum*, quorum prius non diu redintegratum est, in eoque conciones uespertinae diebus sacris ab hora III. usque ad IIII. pomeridianam per aestatem haberi solent; duo posteriora, igni consumpta, adhuc in ruinis iacent.

\* *Hoc in templo Virgines Vestales olim sacris perfunctae sunt, quarum coenobium, ibidem exstructum, locupletissimum splendidissimumque fuit. Inprimis uetustate se commendat, quum iam Henrici Leonis temporibus in Ciuitate nostra illud fuisse, uestigia indicare uideantur. Hodie uero hominibus, senio confectis, domicilium cum alimentis ibi praebetur, et puellae eodem in loco publice instituantur.*

\*\* *Templo huic antea ab Ecclesiasticis nomen dedit, quod recte explicandum, et quod iam suppeditauit, est retinendum. Illud autem una cum monasterio amplissimo exstrui curauit sodalitas Dominicanorum, et D. cuidam Baribolomaeo dicauit, ut ex antiquis MSC. patet. Apud Pontificios olim in magno honore hoc monasterium fuit, quum multae Indulgentiarum literae, a Praesulibus, Halberstadiensi, A. 1500. et XC. XCI. et XCV. Hildesienfi, A. 1500. et XCII. et Hennebergenfi, A. 1500. VIII. aliisque missae, in illo custodirentur. Eodem in templo depicta olim Magni Christophori imago cernebatur, cuius relictum ex incendio uestigium facile animaduerti potest. Caeterum haud ita pridem publico Ciuitatis sumptu domus pupilillarum causa ibidem est exaedificata.*

§. XIII. Arque ista quidem Ciuitatem ipsam exornant, et intra Urbis moenia condita reperiuntur. \* Suburbia enim sua quaeque templa habent, et bene instructa sunt, diuinoque cultui destinata. Nomina, quibus haec Suburbia insigniuntur, sacrae etiam Aedes retinent, eademque a DD. *Nicolao, Petro, Georgio, et Martino* \*\* acceperunt.

\* *Succurrunt et aliae Aedes sacrae, sed non ita celebres, nominatim Antonii, cum sano, S. Catharinae dicato; et Margarethae, quarum utraque Xenodochia habet. Quae ab Antonio cognominatur, in extremo Urbis nouae situm, et longe diuissimum est, religiosi-*



religiosique homines illud quondam inhabitarunt: sed Nofocomium Margarethae, non ita opulentum, extra Urbem iacet.

\*\* *Seruatur in hoc templo epistola quaedam, Indulgentiarum causa scripta, et circa primam eius inaugurationem A. C. CCC LVIII. D. XVI. Kal. Octobris data; in cuius extremitate VIII. de Sancto illo, cui templum nomen debet, Martino, sigilla, cerae rubenti impressa, adhuc inueniuntur.*

§. XV. Haec de templis nostrae Urbis, in quibus, quum staret Pontificum auctoritas, et sequentibus quoque temporibus sacra celebrata sunt, dixisse mihi sufficiat. Reliqua, quae huc referri quodammodo poterant, uix ullius momenti sunt, ut diutius illis immorandum esse existimem, neque inuenio plura, quae, si uel maxime infererem, multum lucis Dissertationi meae allatura forent.

§. XVI. Illud tamen non praetermittendum ducō, quod de *Scholis*, sub *hierarchia* Pontificum institutis, dicenda quaedam supersint. Si uero, quid sentiam, ingenue fatendum est, patria Ciuitas iis sub hoc tempus aut destituta fuit, aut ita hae comparatae fuere *Scholae*, ut nihil fere lectu dignum tradi de illis queat. Equidem in utraque Vrbe ad Aedes *D. Blasii* et *B. Mariae Virginis*, pro illorum conditione temporum, instituti fuere literarum ludi, de quibus in Actorum nostratium historia me legere memini, sed nihil de istis habeo, quod dignum commemoratu putem.

§. XVII. Ceterum insigniores quasdam in Sacris mutationes sub illa quidem tempora in nostrate Vrbe haud extiterunt, quum *monachi*, ceterique ordinis sacri homines tranquillam inter se agerent uitam, neque ullam Religionis causa controuersiam mouerent. Constat praeterea, in coetu Romano lites, si quaedam forte propter sacra oboriantur, sola Pontificis auctoritate extemplo dirimi atque decidi.

§. XVIII. Equidem seculo post C. N. quinto deci-

mo nefarii quidam homines, iique peruersi diuini Codicis interpretes, quos *Anabaptistas* uocant, in uicina praefectura, quae *Vogria* dicitur, doctrinas suas disseminarunt, quae in nostratrem quoque Urbem irrepere coeperunt. Quod ubi cognouerunt Principes quidam Imperii, nominatim *Moguntinus*, qui sacrorum in Turingia curam sibi uindicabat, et *Colonienfis* Antistes, itemque *Vurciburgensis* Praesul, nec non Septemuir *Brandenburgicus*, *Bauariaeque* Dux, nihil cunctandum rati, literas ad Senatum Mulhusinum miserunt, eundemque, ut nouae istius sectae auctores, quos impietatis magistros appellabant, utpote qui de rebus diuinis pessime sentirent, coerceret, atque ex Vrbe eiiceret, se uere grauiterque admonuerunt.\*

\* *Eam in sententiam legenda sunt Acta nostra MSC. nuper ad me transmissa, ad A. Chr. c13 cccc XXX. quae nonnullos eorum ex ponte suburbano, a pago Ammara dicto, deiecit et sacco inclusos, in aquis, iussu Senatus nostri, suffocatos fuisse, memorant et confirmant. Anno autem insequentis seculi XLIII. in Ciuitatem nostram redierunt, ac multi ex illis eadem poena sunt affecti.*

§. XVIII. Eodem hoc, et quidem ineunte, seculo res mira accidit, quam *monachi* religiosique homines, ad quorum praecipue commodum atque utilitatem spectabat, pro miraculo habere non dubitarunt. Etenim in loco quodam suburbano, ad quem ex porta Urbis superioris, quae a *Maria Virgine* nomen adepta est, itur, nostra uoce *Blobach* appellato, multo mane deprehensa fuit *HOSTIA*, Seruatoris nostri, in crucem acti, effigiem gerens, quae sub tilia arbore, quatuor sanguinis guttis conspersa, iacebat. *Monachi* uero sanctum ac diuinum quid se consequutos rati, custodiendam eam susceperunt, et sacellum, in quo asseruaretur, illo ipso in loco, sciente tamen et permittente Magistratu, exaedificandum curarunt.

§. XX. Cuius rei rumor mox increbuit, tractumque uicinum peruasit, et ad remotos quoque perlatus est, quum

quum sacrificuli mirandas *boſtiae* uirtutes aſcriberent, atque imperito ac nimis credulo uulgo id facili negotio perſuaderent. Igitur permulti non e domeſticis modo et inquilinis, ſed peregrinis etiam et aduenis, illuc aduentarunt, et ſacrificiis operati ſunt, magnamque cerae copiam, praeter pecuniam, obtulerunt. Creſcente autem indies ſacrificantium numero, et magis magisque celebratis miraculis, ac ſupra modum exaggeratis, Senatus Vrbiſ e re ſua duxit, ut haec talia, poſteritatis cauſa, annotarentur, et ab obliuione uindicarentur. Quare ciuem quendam, *Albertum Boetmerum*, ablegauit, eique in mandatis dedit, ut res miraculi plenas, quae ibi fierent, quam diligentiffime literarum monumentis conſignaret.

§. XXI. Verum non adeo diuturnum fuit hoc gaudium, artesque malae et fraudes non multo poſt detectae. *Ludouicus* enim *Binsfortus*, *Moguntini* Praeſulis adminiſter, *Prouiſoris* titulo in Ciuitate Erfurtenſi clarus, uolente ac iubente Septemuiro, Erfurdia Mulhuſam petiit, et poſtquam illam intrauit, uniuerſum Senatum, in quatuor partes tunc temporis diuiſum, conuocauit, cui commentitiam et magicis praefigiis comparatam atque adornatam eſſe *boſtiam*, ac Religioni *Cbriſtianae* aduerſam, copioſe oſtendit, idque ſe ex uariis, et fide dignis, non ſacri ſolum, ſed ciuiliſ quoque ordinis, auctoribus compertum habere, affirmauit. Deinde Antifitiſ ſui iuſſa expoſuit, quae eo ſpectarent, ut eiſmodi cultus plane intermitteretur. Quod non recuſauit pro ſua prudentia Senatus, ſed ipſum, extra Urbem ad dictum locum prodeuntem, ſequutus eſt, ſanguiniſque guttas nigrum in colorem uerſas, animaduertit. Itaque abiicitur illa, et domus, in qua ſeruabatur, deſtruitur ac deletur. Ceram uero et pecuniam, ſacrificiorum nomine collectam, eamque non ſperendam, ſibi attribuit *Binsfortus*, eiſque loco Senatui tradidit literas, in quibus rem iſtam Ciuitati non detrimento futuram, ſignificabat,

cabat, simulque illius causam aduersus quoslibet defensorum se, pollicebatur.

§. XXII. Atque haec prolixius paulo, quod fateri necesse habeo, a me proposita sunt, quae de celebri illa *hostia* commemorantur. Video enim, auctores, qui de rebus nostris scripserunt, eius uel nullam omnino fecisse mentionem, uel, si aliquid de ea re scriptum reliquerunt, plurima tamen, eaque obseruatu digna, silentio praeteriisse, propterea, quod accuratioribus ac singularibus Urbis nostrae documentis testimoniiisque fuisse destituti.\*

\* *Conferatur interim, si placet, Psefferkornius, l. c. p. 288. qui tribus tantum, quod dicitur, uerbis de hoc tractauit argumento.*

§. XXIII. Neque hic ratio non habenda est literarum, ad *Indulgentias* pertinentium, quarum permultae, ex Curia Romana ad Senatum populumque Mulhusinae Urbis transmissae, atque ab aliis *Archiepiscopis* et *Episcopis* datae, superant, quae etiamnum apud nos legi possunt. Afferuantur autem illae in *tribunali*, in quo plura etiam mandata atque edicta, Religionis causa a Pontificibus et Praefulis promulgata, reperiuntur.\*

\* *Nominatim extant literae Indulgentiarum, ab Innocentio VIII. promulgatae, in quibus militibus, aduersus Turcas pugnaturis, omnium delictorum uenia liberaliter promissa fuit, et in Ciuitate nostram, Pontificum sigillo munitae, A. c. d. cccc. XC. peruenerunt, quas Senatus publico in loco affigendas curauit.*

§. XXIII. Restaret, ut per instituti leges de *emendatis Patriae Sacris* traderem, argumentumque coeptum, ut par est, persequerem, nisi chartarum angustia, et praescripti, quos egredi non licet, fines id prohiberent. Ne tamen illud, quod institui, imperfectum reliquisse uidear, ea, quae desiderantur, peculiari *Dissertatione* explicanda, et cum lectore beneu. communicanda in proximum tempus referuo, et uel inuitus nunc desino, atque in pietatis erga Deum, a quo auspiciu duxi, significatione penitus acquiesco.

S. D. G.

Ji 2149

ULB Halle 3  
002 410 087





sb.

Vs 18

VONA







B.I.G.

Farbkarte #13

6

*Q. D. B. V.*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO IUVENTVTIS PRINCIPE, AC  
DOMINO,  
DN. FRIDERICO AVGVSTO,  
PRINCIPE REGIO, ATQVE ELECT. SAX. HEREDE,  
ETC. ETC. ETC.

ET  
SVFFRAGANTE  
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE,  
PRIOREM

DE  
SACRIS  
MVLHVSINIS

DISSERTATIONEM  
PRAESES,  
M. CHRISTIANVS GVILELMVS  
VOLLANDVS,

ET RESPONDENS,  
IOANNES MARTINVS AKIVS,  
MVLHVSINI,  
EXQVIRENDAM ET VENTILANDAM PVBLICE  
PROPONENT,  
IN AVDITORIO PHILOSOPHORVM,  
IPSI<sup>S</sup> IDIVS MARTII,  
ANNO A. O. R. cl<sup>o</sup> lxxxiii.  
HORIS ANTEMERIDIANIS.

---

VITEMBERGAE SAXONVM,  
PRELO MEYERIANO.

